

BENEDICTI SKYTTE
LIBERI BARONIS SVECI
IN EXCESSUM
GUSTAVI MAGNI
ORATIO
DISERTISSIMA.

in quâ
non solum
Divini & incomparabilis bujus Herois
Augustissimus Regius ortus;
sed ejus quoque
Plusquàm regia facinora & immortales
Victoriæ ac triumphi,
totiq; Christiano orbi deflenda orbatio,
mirâ facundiâ ac singulari judicij acrimoniâ repræsentantur.



edita
à
Viro Clarissimo
MARCO ZVERIO BOXHORNIO, P.P.

Lugduni-Batavorum typis Elsevierianis:
ANNO M. DC. XXXII.



Illustri & Generoso Domino,

D. JACOBO SKYTTE, L.

Baroni in Duderhoff, Domino in Stromsrum, Equiti Aurato, &c.



Edit ad te, Illustris Domine, generosi fratris tui Benedicti disertissima Oratio, quam nunc dudum in obitum cœlestissimi Regis vestri cõscriptam, cum recens adhuc esset tantum vulnus, tandem, quia dignissima mihi videbatur, auctore peregrinationibus in Italia, Gallia, Helvetia, alijsque Christiani orbis oris distento, excudendam à te impetravi. Et certe nemo mirari debet, fatale illud Gustavi Magni nomen totiens publico donari. Enimvero nullus unquàm principum fuit, qui & superstes & jàm fato functus plurium animos veneratione sui implevit, plura ingenia ad prodendam virtutum suarum memoriam occulto quodam instinctu provocavit. Taceri non debet, qui gessit inscribenda albo æternitatis. Vivit vivetq; illustrium scriptorum monumentis, qui deposita vita, non deposuit famam sed intendit, qui dum superesset supra omnes exstabat, dum ereptus est rebus humanis, quarum securitati eum destinaverant fata, seipso non tam gloria excessus, in quo victor fuit, quam desiderio sui, cum non esset diùtius, factus est major. Sicut difficillimum opus sit, cui quivis merito se impendit. Difficillimum enim qualis quantusq; fuit illum repræsentare, qui ipse magnitudinem suam non satis cepit, non quia non habebat, sed quia habebat plusquam humanam, non in paucis sed nemine, non raro sed nunquam alias spectatam. De qua cuivis serio cogitanti fieri non potest quin obrepat deliquium animi, dum ad jacturam adtendit, quam in acerba ejus morte orbis Christianus fecit, deliquium sermonis, dum ad mira-


miracula illa & prodigia virtutum assurgere non potest. Hæc tamen omnes loquuntur, quia stupore rerum omnes deprehensi. Et nemo satis laudatum illum credit, qui utut maxime, nunquã satis laudatur. Idem ardor fratrem tuum quoque cepit. qui excitati ingenii, & robustæ eloquentiæ supra ætatem illam potens, quantum ipse, quantum Suecia omnis, quantum totus terrarum orbis maximo Regum Gustavo deberet, voluit probare. Et certe probavit, conscripta in excessum ejus ea oratione, qua divinis ejus virtutibus & jam receptis cœlo manibus omnino est satisfactum, si aliqua humani sermonis majestate iis satisfieri posse concedamus. Cujus rei unicuiq; serio evolventi facilis fides erit. De me possum testari. Inter legendum non meus eram, sed scribentis, non desiderabam exstinctum Regem, sed videbam. Armatas ferro victrices ejus manus, cædes aut fugam hostium, quasi præsens intuebar. Quot enim paginæ, tot posita cœlestium virtutũ in omnem rerum æternitatem monumenta. Singulis periodis triumfum vester ille Augustus hic agit, quemadmodum talem, dum superesset, quævis hora vidit. Et hoc nomine excellentissimo Parenti tuo Johanni Skytte potissimum gratulamur. Est is vetus jam Regni Senator, &, dum hæc scribimus, ad serenissimum Magnæ Britanniæ Regem, & Fœderati Belgij Ordines splendidissimus Legatus. Qui etiam infinitis doctrinæ & ingenij præsidiis in tanta fortuna instructus, cum Regis sui cadaver violenta luctu Suecia efferret, eam orationem funebrem habuit, qua non commoti, sed extra se rapti omnium animi fuere. Quæ nec dum in vulgus edita publico non debebat invideri Sic tibi ac fratri tuo exemplum dedit, & jam in utroq; accepit, atq; absolutam maximarum virtutum suarum imaginem contemplatur. Vale, illustris Domine, & me, ut cœpisti, amare perge. Lugd. Bat. cIↃ IↃ c XXXV. Kal. Maij.

Illustri tuo nomini

dicatissimus

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

EPI-




EPITAPHIUM MAGNI REGIS ORBIS ARCTOI GUSTAVI ADOLPHI.

Rex Aquilonis Magnus eram Gustavus Adolphus;
Balthica qui justis circumdans flumina sceptris,
Relligione piâ fervens fera Cæsaris arma
Diripui; innocuas gentes tutabar & urbes,
Nunc patriam repeto valedicens morte triumphis,
Quos celebrant Sveones ac libertatis amore
Ardens Germanus, reliquus miratur & orbis.

Aliud

REGIS INTER MORTALES MAXIMI ET INCOMPARABILIS

Hîc Rex Heroum situs est, cui prisca tulerunt;
Aut nova, Marte, animo, secula nulla parem.
Arctos testis erit, benè gesta Europa loquetur,
Implebit geminos splendida Fama polos.




In

Ejusdem Regis

Luctuosissimum & ominosissimum obitum.

SIccinè nos miseros, Rex inclyte, deseris, armis
exutus, patriam, quæ super astra petens.
Noster eras Moses redivivus, Josua, David,
Et Maccabäius, Juda, Cyrusq; pius.
VICTOR Victus obis, Rex Papæ terror & orbis
Unica Teutonici spes decus atq; salus.
Victus Victor eris, mundi dum secla meabunt,
Et similem parient tempora nulla tui.

D.Michael Waltherus.



Aliud Anonymi.

PRo Christo vel cum Christo qui pugnat in hostem
Si cadit, & multo vulnere conficitur,
Fert tamen ut victor forti è certamine palmam,
Salvaq, quæ meruit præmia semper habet,
Cum fugiente etenim fugit & Victoria; verum
Si pugnans moritur, cum moriente manet.

Aliud

Rex orans, pugnans, vincens, moriensq; triumphat.

Aliud

Aliud

Augustum Cæli Donum, GUSTAVUS ADULPHUS,
Romani splendor, regia stella, Globi.
Stans Aquilam cædit, pugnans vincitq; triumphat,
Mortuus ut victor vivat in orbe LEO.

GUSTAVUS ADOLPHUS SVECORUM, GOTTHORUM WANDALORUMQVE REX ET PRINCEPS HÆREDITARIUS. ETC.

Anagramma.

AH AUDIT AUGUSTUS NOVUS ET PURUS REX, GERMANORUM REDEMPTOR AC PORTUS, ALTIQUE COELI DECUS.


Epitaphium

QUI transis subsiste parum, subsiste viator,
Magnificus tumulus quem tegit iste, scies.
GUSTAVUS jacet hic, quo non animosior alter,
Hic LEO, qui Boreæ natus in axe, jacet.
Terror erat vivens infesto maximus hosti,
Hosti mors moriens terror & horror erat.
Occubuit victor pugnans hostemq; fugavit,
Victor ovatq; solo, victor ovatq; polo.
Hinc novus & purus Rex hinc Augustus & audit,
Cui par nullus erat, cui quoq; nullus erit.
Nobis portus erat, nobis erat ille redemptor,
A nobis durum sustulit ille jugum.

Jam

Jam decus est cœli, stellata aurataq; Tempe
Incolit, in nido lucida stella polo.


Nicolaus Scribonius.



In Coronam auream defuncti Regis beatissimi capiti imponendam.

LIbertas & Relligio, victricibus armis
Adsertæ & fidi sanguinis effluvio.
Hanc Tibi, Rex Regum, donant, GUSTAVE, Coronam:
Cœlestem fidei Jova dat ipse tuæ.


Joannes Meibomius, Ph. & Med. D.



in Tumulum.

GUSTAVI heic Tumulus SVECORUM REGIS ADOLPHI,
Quem verè æternum vitaq; mors q; facit.


Albertus Nordanus, JC.



Ad confœderatos Cæsareos, Evangelij & Libertatis Germanicæ Hostes.

QVid capite Imperij, magno quis Cæsare major?
Qui vicit. Victor Rex Aquilonis erat.
Discite nunc titulis & vi mansuetius uti:
Aut Capitolinas trux Leo sternet aves.

Christophorus Basileus Beccerus, P. L. C.



BENEDICTI SKYTTE

ORATIO

In excessum GUSTAVI MAGNI.



I immensa hæc universi machina calamitatis suæ sensum haberet, &, quantum in Gustavo Magno amiserit, æstimare posset, haud dubiè maria, amnes, stagna, & quicquid usquam aquarum complectitur, in lachrymas converteret; & indomiti ac resonantes fluctus, torpore immobili, vastoque silentio, suũ luctum testarentur: ut quemadmodum justitio Principum excipi fata solent, ita, intermissis naturæ muniis, intelligeret Oriens atq; Occidens, in Gustavo clarissimum orbis sydus, solem Septentrionis occidisse. Grande profectò instabilitatis suæ documentum res humanæ dederunt, unius nece ita conversæ, ac si ab uno pependissent. Vix ex communi incendio, quod vastitatem & solitudinem mundo intulerat, fessa innumeris malis Europa respirare, vix miseriarum gemituumque suorum, præsentis fortunæ aspectu, oblivisci cœperat, quum unus dies, idem felicitatis summus, omnium votis designatus, novo & repentino casu veterum malorum memoriam

& metum redintegravit; & Gustavi fato, velut deliquio solis (heu! nunquam redituri) densæ caliginis nubem urbibus, populis, ac regionibus superfudit. Non reges consors nuper tanti honoris anima, non Ecclesiam Dei memoria defensoris, non oppressam Germaniam vindicis fatum, non denique exercitum imperatoris omnium, quos omnes ætates tulerunt, maximi manes conquiescere patiuntur, quin mœsti omnes, & dejecti defleant eum, quem, aliena fata sistere potentem, sui securum esse debuisse existimant. Quid subditos dicam? qui tot bellorum superstites, & vix tandem, post multa discrimina, ex infestarum undiq; gentium violentiâ eluctati, in ipsis assurgentis fortunæ exordiis unicum rerum suarum munimentum, spem unicam amiserunt. Infelix Suecia, cui sydus, quod ad reliquarum nationum pudorem potissimè produxeras, in medio vigore ereptum est. Crediderim equidem, si tota è sedibus tuis attolli, & comitari posses augustos Gustavi manes, lachrymis ipsa cœlorum penetralia perrumperes, aut ferali urnæ, quæ ingentis illius animæ domicilium tenet, totam te includi patereris. Soli sanè tibi lugendi privilegium tua facit calamitas; cujus quia magnitudini succumbere, & improviso malo consternata, silere mihi videris, ego, quanquam nec dolore, nec charitate Gustavi cuiquam secundus, ultimas pro te voces suscipere decorum mihi existimavi. Non ut exquisitis querimoniis tui miseratione ceteros implerem, sed, quod unum pietatis officium reor, relinquerem imaginem ejus, quem, virtutum omnium cōpendium, ut exemplum venturis seculis tradi æquissimum judico. Melius Gustavum laudabunt alii, quorū ut posterior in tristitiâ locus, ita expeditior animus erit, ad conquirēda elogia, cujusmodi virtutibus, humanū ferè modū supergressis, debentur. Ego id solùm rogarim, ne mihi pietas mea obtrectationi sit. Quā facilius excusabunt, qui etiam supremæ divinitatis cultum, quò simplicius, eo & majori cum laude, peragi sciunt. Neq; enim præter devotā Gustavo mentē

quie-

quicquā affero: & ut ante pedib. magni regis substernere vitā meā paratus erā, nunc defuncto vocem consecro: in qua si quis tenuitatem reprehēdendā putat, longe profectò à meâ recedit opinione, qui unum id miror, non includi ineffabili luctu sermonem, & stupere linguam ad dicenda, quorum reputatione victus animus nec constantiam retinet, nec ullum, nisi in lachrymis, præsidium habet. Scilicet evenit mihi, quod de Lydorum regis filio antiquitas prodidit, cui negatum antè sermonē à pietate in patrem, exordium habere voluit natura. Sic & ego, hactenus nullâ egregia voce aut publicè notus, aut patriæ meæ utilis, impatientia doloris, ac pietate in communem parentem, adigor silentium rumpere. Utinam modo & me qui illum fructus maneret. vel, si ignavi est, sine impendio suo alterius redimere vitam velle, utinam nostro piare fato licuisset, quicquid in Gustavum mortalitas juris habuit; non ego superstes domino meo fruerer luce, quam illi debeo; non mihi conscius essem tantorum debitorum, quæ sola exsolvere vita possum. Desunt verba reb. immensis. Quotiens augustam illam oris majestatem, ad cujus jussa tremere solebam; quotiens invictum illum animum, qui totum orbem complexus erat; quotiens deniq; gesta, quîs majora Europa non vidit, reputo, intrat animum horror & religio, alio ore, alia facundia dicendum regum maximum fuisse. Rursum mirabilis illa clemētia & comitas, quæ totiens tenuitati meæ deosculādas, domitrices septentrionis manus, totiens dicenti mihi benignas aures præbuit, addunt fiduciam, adeo ut, si quis defunctorū manib. sensus est, expostulaturos à me supremum hoc officium credam.

Igitur Gustavum Magnum annus post mille quingentos quartus & nonagesimus, nona Decembr. dies orbi dedit, & cum Gustavo tot annalibus materiem, ut verear ne posteritas, quæ apud alias gentes scriptorum ambitione celebrantur, virtutes in Suecia nasci, & negligi existimatura sit. Patriam & genus in obscuris laudemus; parentem Carolum, æternæ recordationis, præterire religio

est: illum libertatis nostræ alterum conditorem, cujus fortitudinem, nunquam sine indignatione, cogitavit Sigismundus, Suecia, Moschovia, Esthonia exutus, denique & captus ipse, & mirabili clementiæ exemplo mox dimissus. Hinc illum ventura secula æstiment, nos diligamus, quia, quo majus nihil poterat, Gustavum Sueciæ dedit. Sit quoque nostris privatim hic debitis locus; non ambitio me, sed pietas meminisse jubet, prima eum ætate moderatorem accepisse Joannem Skytte, parentem charissimum, quem pluribus laudari nec Gustavi patitur magnitudo, nec nostra verecundia. Dixisse sufficiat, curam ex debito eum impendisse, quamvis postea meritum id vocare regum maximus solitus, & illis etiam annis, quîs docere omnes poterat, consilia ejus exquirere, & amplecti dignatus sit. Hoc rectore adolescentiam exegit, non per otium aut luxum, inter innumeras supremæ fortunæ illecebras, sed augustis semper curis distentus, ut eum, qui puer adhuc solicitudine patriæ parens erat, provectiorem oppressi orbis vindicem fatis monstrari quisque intelligeret. Constat certè, nondum exacta pueritia, quum à curis ipsa ætas excusari mereretur, sæpe cogitabundum, semel tristiorem, imò lachrymantem visum; & percunctantibus, quæ illum tam præproperæ solicitudines fatigarent, respondisse: Quotiens Sueonum res, quotiens impendentia undiq; bella, & mortalitatem parentis cogitaret, occupari sibi mœrore animum, quod in spem tantæ molis educaretur. O admirandam indolem! Lachrymas Gustavus fudit, quia necessariò habiturus erat id, pro quo nemo fere mortalium sanguinem profundere, ipsamq; adeo vitam in casum dare abnuit, nisi qui ignaviam egregiis laboribus, segne & obscurum otium præclaræ famæ antehabuere: à quibus longissimè abfuit Gustavus. Non libet hîc memorare aut curam equorum, aut venatum, aut siqua id genus alia principibus sæpe magis assuetudine, quam industria sua exercentur,

centur, & ex quibus magis fortunam eorum, quam animum æstimes. Fuerunt cuncta illa in Gustavo, fuit & bellicarum artium, castra ponendi, ducendi exercitus, munitiones faciendi studium inexhaustum; scientia summa, sed ita, ut occupationum hanc tantùm alteram partem quivis agnosceret. Lustravit etiam, quæ nunc reges infra majestatem suam putant, literas & quieta studia. Singula memorare haud vacat: nam, nec omnium pene, quas Europa habet, linguarum peritiam, nec facundiam, quâ universos in admirationem rapuit, neque historiarum incredibilem scientiam satis prædicare queam in eo, qui, quicquid olim egregie à magnis ducibus gestum est, æquavit, quicquid in præstantium imperatorum gestis desiderari videbatur, ita supplevit, ut solus nunc omnium nationum fatigare scriptores queat. Inserat quoque se orationi ingens Seneca, vir supra tenebras gentium: quem ita magnus rex memoriâ tenebat, ut non lectorem eum, sed scriptorem divinorum operum fuisse judicaturus fueris. Memini, in mediis Germaniæ bellis, inter tantas trepidantis Europæ curas, quarum potissimæ illi incumbebant, quotiens fessum animũ paululum reficere licuisset, sæpe me ex augusto ore graves illas sententias audisse, quas sic sibi applicabat, ac si non alteri scriptæ essent. Quippe semper fortunæ summæ stimulos retundendos ratus, id modò laborabat, ut quemadmodum fastigii, ita modestiæ summus foret. Fecitque idem, ut, quod nec orbis domitores consecuti sunt, vinceret semetipsum, & naturam suam. Jam si ad incunabula imperii ejus proferendus gradus, dictu incredibile est, quam fuerint illa molestiæ, ac laborum plena: prementibus Sueciam, Danis, Polonis, Moschis. Illos semper graves nobis hostes conterminą, ac Oceanum Germaniamque interjecta ditio, & maximè proditorum perfidia fecerat: adeò ut castellorum, quæ fines claudunt, solum Jennekopense nostri, Calmariam & Elsburgum hostes

tenerent, non fortitudine suâ, sed malis custodum artibus. Itaq; cruentum haud dubiè bellum exspectabatur, si recipere claustra imperii, & securitati reddi vellemus. Gustavus, qui nihil in bello, præter exitum, amabat, effecit ut anni spatio & hostilia ponerentur, & citra sanguinem haberent Sueci loca, unde securitas eorum pendebat. Emerant hostes propugnacula ditionis nostræ, ijdem & vendiderunt. Adeò ipsa exordia, quæ regum alij, ambitioso nomine, insignia semper voluerunt modestiæ suæ, quam fortitudinis, argumenta esse maluit Gustavus. Nimirum decuit inter titulos ejus primum conspici custodis vocabulum, quos postea vindicis nomen clauderet. Sed quia familiaria bellis violenta sunt remedia, & ex illis fortitudo cujusque æstimantur, etiam Gustavum Magnum, jam aliis incumbentem, necesse fuit arma & terrorem ostentare iis, qui diffidentia virium pacem incruentam maluisse eum judicabant. Ter adventu suo, (nescio an ita loqui liceat de eo, qui celeritate non famam modò, sed & suspiciones omnium prævenit) ter, inquam, hostes arma parantes repressit, adjutore usus Axelio Oxenstiernâ. quem virum ad æternum gentis suæ decus & sublevandos Gustavi labores Suecia prodidit; nunc quoque inter tanta mala felix, quod magni Regis morte concussas res per eum prospere resurgere videat. Compositis ibi rebus Gustavum patria hereditas (ita vocare bella libet, quæ illi cum hæreditate simul transmissa erant) ad Moschorum arma trahebat. Populus ille Occidentis & Orientis conterminus, & prudentiam artesque utriusque, quæ ibi concurrere videntur, complexus, vastissimos Europæ, & inaccessos prope tractus habitat, ut satis ipsius naturæ iniquitate adversum hostes tutus videatur; idem inter dira frigora genitus, laborum, inediæ, omnium malorum tolerans, libertatis ignarissimus, eoque acrius, ad nutum unius, in hostem & exitium ruens; denique & cum Suecorum gente, solus Europæorum,

qui,

qui, in communi orbis servitio, Romana non vidit arma, nedum imperia accepit. ut dubitandum non sit, & illos, qui Romanorum nunquam jugum experti erant, & nos, qui eosdem domueramus, mutuâ societate dignissimos fuisse. Quæ ut arctius coalesceret, dissidio opus fuisse videtur, perinde ut nunquam lætior dies est, quàm ubi tristes nebulas solis radij dispulere. Perinde ut illustrem sole diem, prægressæ nebulæ magis commendant. Quamvis quid hîc memorari, quidve omitti debeat, ipse ignorem. Tuam certè, fortissime Jacobe de la Gardie, virtutem, qui primus in hoc bello Coroli Regis terrorem derivare ad nomen Gustavi cœpisti, præterire nefas arbitror, cui maximi hodie militiæ ducis nomen pepererunt, tot prælia prosperè commissa, victæ acies, captæ urbes, subactæ provinciæ, aliorum regnis pares, denique ipsum caput gentis Moschua, cum imperatore Suskio Polonorum manibus erepta. Quæ, licet haud perfunctoriè memoranda, quomodo satis pro dignitate celebraro, qui in Gustavi ipsius triumphis plurima omittere cogor? Ego sanè, ut Jamam, Coporiam, Narvam, Ivanogorodã, Moteburgũ, Kexholmiam, jam & Ingriam, & Careliã, provincias ingentes, imperio adjectas omittã, illud unũ inter decora Gustavi memorare debeo, quod ab extremis temporum memoriis primus ille occurrat, cui ditiones priùs recensitas, deposito in æternum jure, Moschi reliquere. Ille, ille gentem potentissimam, quæ antè Tartarorum formidata agmina, & ab ipsis Caucasi nivibus accersitos exercitus superfundere Sueciæ, unoque eam impetu exitio involvere meditabatur, quam non interjectum mare, non solitudines, non sylvæ satis arcebant, quò minùs intima Finnorum populando penetraret, adeò sibi devincire potuit, ut sive nunc recedat lacus, cursum vertere Oceanus jubeatur, sylvæ sternantur, nunquam hostilia ab eâ metuamus, quam jam experti sumus sociarum fidissimam. Satis approbato quantò quies bello potior esset, potuisset

tuisset Gustavus pacem cũ Polonis habere, nisi & illi majorem gloriam fata, & his, dubia cum parente Carolo arma spem prosperorum parassent. Primum Livonia bello & victoriis campum aperuit, præ aliis Septentrionis provinciis clara, & rebus ac robore ingens; quippe quæ sine auxiliis externis, sine ope cujusquam, invidiosas orbi Moschorum vires per annos prope centum & spernere ausa est, & atterere potuit. Ipso in limine belli maximæ difficultates, secutas inde victorias commendavere: dum vasta Balthici maris spatia, horrentia saxis, & importuosa littora, nostros ab hoste, quanto magis à victoria, dirimunt. Adeò ut satis munimenti Polonis in eo futurum fuerit, ni ipsum pelagus, retinens obsequij, quod ab extremis temporum memoriis Suecorum regibus debet, naturæ violentiam domino suo subjecisset. Decies justis exercitibus Gustavus adversa in littora transgressus simul ac terræ pedem imposuerat, obvias victorias habuit. A Riga cætera ferè cuncta pendebant. Quam urbem caput & claustrum ditionis suæ, situ, opere, validam, terribilis ille Bathoreus, cum omnis Livonia reverentiam ejus induisset, ad obsequium diu frustra vocatam, vi tamen aggredi ausus non erat. Quo apertiora Polonorum ludibria fuere, Bathorei firmatum imperium & provectam ætatem, cum Gustavi juventa & recenti principatu contendentium. Constat cum auxilio urbi Radzivilius Sarmaticum exercitum adduceret, auditas in itinere palam ferocissimi cujusq contumeliosas voces, & vota, ne ad famam sui juvenis Sudermaniæ Dux (id enim nomen primo Polonica ei modestia dabat) dilaberetur: Adeo pleni fiduciæ, velut fruendæ victoriæ, accessere, ne prælio quidem opus fore rati. Nec hercule opus fuit; vix in conspectum Suecorum venientes fœdam fugam fecere, & quo quisq ferocior prælium capessierat, eò pedum celeritate reliquis præstitit. Non erat pretium Gustavo persequi, quos satis metus suus urgebat.

bat. sola Gotthorum arma eminus,ostentare satis habuit, quorum splendorem Poloni tolerare nescij,terga omnes obverterunt. Victoriæ præmium haud dubiè Riga debebatur, cujus deditione ultus est Gustavus cladem parenti Carolo eodem die,ante annos XXX, ad Kexholmiam illatam. Quis crederet tantis argumentis comprobatâ Gustavi Magni fortitudine, nondum Polonos destituros bello, quo nihil sibi prosperum promittere poterant. Atqui multo magis pudor suus Sarmatiam stimulavit,ut quæ patentia camporum,& aperto Marte invictam se tumidè semper jactarat,nūc omnes prælij vias,& dextra elatis vocibus fidem astruere quæreret. Vicisse jam eos crederes, nisi pugnassent. Valhovienses campi testes esse debuere illustris victoriæ,quæ trophæa Gustavi suorum sanguini,cadaverib. & armis superstructa non sine dolore & lacrymis vidit Sarmatia. Vidit illa dies Gustavum ducem, militem, victorem; vidit fessas cædendo Suecorum Finnorumque legiones, quorum bis inexhaustus hostes sternendi ardor novum Haccapelorum peperit vocabulum; vocabulum,ad cujus auditum semper exinde Polonia contremuit, quodq; postea Austriaci & sacri (si dîs placet) fœderis defensores raro sine horrore sæpè cum fine vitæ acceperunt. Recenserem nunc innumera adversum Polonos prælia,id est victorias; recenserem tua,maxime Carole Gyldenhielm, gesta, qui fide nullis ferè seculis auditâ, duodecim annos custodiæ inclusus,catenas & vincula pro magno rege,pro republica perpessus es; recenserem validissima Livoniæ ac Lithuaniæ loca obsessa,(cum obsessa dico, prohibet fortuna & fortitudo Gustavi exitum quærere) nisi me idem impetus ad secuta raperet, qui illum victoriis suis frui nunquam passus est. Retinet me adhuc Valhoviensis triumphus, & jam posita de Borussis trophæa segnem orationem vocant, quib. defendendis universas Sarmatiæ vires excierat Sigismundus. Jam

Bronsbergum, Elbinga, Mariæburgum caput magno regi submiserant, quem Meva, Sarmatarũ vexata exercitibus, retraxit. Aderat Sigismundus ipse, quanto celebrior gestis contra Maximillianum, Turcas, Moschos, Tartaros, tanto major materies ad augenda decora Sueonum. Nimirum illud unum supererat, ut quos è castris, quos patentibus in campis superarat Gustavus, eosdem nunc suis in castris vinceret. Quantus ille, quàm lætus nostris affulsit dies, quo structum suis manibus vallum trophæa Gustavi gestare, & pulsum Sigismundum Sarmatici exercitus prospexere & comitati sunt. Quid singula persequar? tanta victoriarum Gustavi multitudo est; ut si unicuique suus sacrandus sit dies, nullum in anno profanum simus habituri. Quippe si quas aut pugnas, aut urbes vicit tradere vellem, metuendum magis mihi esset ne à memoria mea prius, quàm illarum copia, destituerer. Sigismundi dedecus mox Ferdinandi infamiam traxit; qui tot innoxiorum oppressor aut eversor, cum ne Germaniæ quidem spatiis coercere ambitionem suam posset, debuit quoq; (sentiente ludibrium Sarmatia) mittere in septentrionem aquilas, quas inter triumphorum instrumenta mox Gustavus haberet. Scilicet ne quid in Gustavum deinceps ceteri auderent, nominum quæ Europa veneratur eminentissimum fastis ejus inferendum erat, quo relicta domi securitate Sol hic, quem toti mundo produxerat natura, extra septentrionem semet effunderet. Jamq; attrahebantur radiis ejus oppressæ Germaniæ lachrymæ, & suspiriorum gemituumq; nubes, totam Europam obumbrantes, non aliud sydus, à quo dispellerentur, exspectabant. Strepebant exiliis terræ, mariaque; vagabantur passim principes extorres ditionibus suis, & quos nuper florentes Europa viderat, nihil præter calamitatis humanæ, & truculentiæ Austriacæ spectacula erant. Ipsa Germania, incensis urbibus, exustis pagis, vastatis agrorum

immensis

immensis tractibus, exhausta, inculta, sterilis, solitudine & vastitate sua poscebat tacite vindictam, poscebat auxilia adversum terrarum corruptores, adversus perniciem orbis, & humani divinique juris ruptores. Quis crederet repertum unum principem, qui oppressi & lamentantis orbis vices dolere palam, ne dum de auxiliis cogitare auderet. Quis crederet repertum, qui satis præsidij in afflictorum lacrymis & lamentis poneret adversus immanitatem Ferdinandi, violentiam Hispanorum, & quoscunque alios dominatrix Austriaca domus libertatis exitio edidit. Non mortalis hic constantia, sed Deus, Deus requirebatur ut causam suam susciperet. Illum solum & vota, & preces, & planctus omnium vindicem opperiebantur. Ille solus numine, quo terram cœlumq; librat, Gustavi animum implevit fiducia, ut arma hactenus pro salute suorum usurpata verteret ad tutelam jam trahentis animam Germaniæ. Cogitantem subit veneratio augustæ illius majestatis, quum in Senatu de mole & ratione tanti belli tractaret, ceteris pericula & potentiam hostis fusius disserentibus, magnum regem tandem dictitasse, gnaram sibi Ferdinandi & conjuratæ Europæ potentiam, gnara belli discrimina. Sed nulla sibi tempora, ne nocturna quidem, placide adeo transire, quin semper in animo, in oculis versaretur oppressæ Germaniæ imago: videre se cædes, & incendia, & excidium ejus; audire cælestes voces, Germaniæ liberationem commendantes; audire hortamenta plusquam humana, cur incubantem alienis, & injustè partis imperiis tyrannum aggredi metueret: qualemcunque hostem potentem ei, qui conscientia malorum & iniquæ causæ pudore urgeretur, satis virium illi, pro quo tot exulum, viduarum, pupillorum lacrymæ, & excitæ lacrymis cœli legiones militarent. Hoc classico, hac tubâ ad bellum Gustavus actus est. Iniquus fuerit,

qui Divinam voluntatem pro se habenti humanas quoque,& justas armorum causas, defuisse existimet. Abrupta gentium jura, negatus commerciorum usus, interceptæ,& afflictis criminibus evulgatæ literæ, Balthici maris titulus ambitiose ceu proprius usurpatus, exercitus in nostram perniciem missi, legati non tantum rejecti, sed & contumeliose Germania excedere jussi. Hosne dubitare potuimus hostes esse, qui dies pauciores legatis ad effugiendum exitium concessere? Tanta Gustavi bonitas erat, ut quamvis læsus, spretusq; conqueri de injuriis maluerit, eas publicæ quieti remittendo, & pacem prior postulare. Quæ ubi cuncta in ludibrium vertere, quid aliud quam bellum supererat? Libet exclamare, improbissimas eorum spes esse, qui insperata assecuti sunt. Non norat Gustavum, ignorabat Gotthos Vandalosque Ferdinandus, & qui Germaniam subegerat, Italos afflixerat, Belgas invaserat, in Gallos armorum semina pararat, orbemq; totum aut spe aut cladibus exhauserat, non credidit in Septentrione nasci posse, quem formidaret. Nesciebat Ferdinandus, nesciebat quanto lentius injurias ulciscitur Deus, tanto eum perseverantius sua judicia exercere. Non debuit carere tanti operis exordium omine suo: centesimum post annum, idem qui Evangelicam confessionem Cæsari exhibuerat dies, vidit Gustavum ingredientem iter ad instaurandam religionem. Primæ Usedom & Vollinum insulæ approbarunt pietatem incipientium armorum, mox haud obscuro miraculo Deus. Circumfusum insulis mare incitabant adversæ tempestates, cum magnus rex,& minor solo, cui se prosternebat, supplex & ardentibus votis alienum jam Austriacis Deum veneratus est, ut secundaret properantes ad bella sua classes. Vix clauserat preces, quum subitò in contrarium versi venti, & facile pelagus, Stetinum omnem exercitum breviori spatio subvexere, quàm adhuc à quoquam factum

memoriæ

memoriæ proditum erat, aut ipsa amnis natura patiebatur. Vix actæ rei fidem haberemus, nisi & illa prope adhuc in oculis & cognita omnibus Gustavi pietas foret, quæ sola meruit naturam maris vincere. Ipsum Stetinum inopino exercitus aspectu attonitum & miraculi impos, potuitne obsequium ei negare, cui ventorum effrena agmina servire jusserat Deus? certe non debuit, quanvis nemini ante triumphis adscripta. Primam hîc Germanis salutem noxia semper Germanis cunctatio tulit. Etenim dum deliberant, dum ambigunt, jam muris Gustavus successerat, eratque in promptu vis, sed decuit ab hoste discerni vindicem. Sola ad obtinendam urbem facundia uti voluit, quam uni illi non commodarat natura sed manciparat. Intereà sic quoque misereri Germanorum conditionem libet, qui in summis miseriis non minus ægre persuaderi à Gustavo poterant ut libertatem, quam à Cæsare, ut jugum susciperent. Stetini in potestatem redacti decus auxit propinquus hostis, qui è castris suis Gotthica vexilla infixa mœnibus urbis vidit & indoluit. Nimirum fatale erat, ut duæ Pomeranorum urbes, Cæsaris atque Hispani in Daniam Sueciamque irrumpentis vim velut obices sisterent. Nondum quippe annus transierat ex quo Stralsunda Gustavum defensorem vocare ausa, prima omnium Germanos docuit, etiam citra temeritatem Cæsaris minas sperni. Unde æquum erat eandem Pomeraniam, quæ testis fuerat resisti Ferdinando posse, etiam prima de victo Ferdinando trophæa aspicere. Sed ego immemor quantarum me rerum Oceano commiserim otiose uni urbi inhæreo, quam nominare satis esse debebat. Effugit orationem Rugia, aspero undiq; mari clausa, & minax, milite, castellis, propugnaculis valida & tanto celebrior triumphi materies. Effugit Brandeshaga suorum fumo prodita, dum prælium ausi & mox refugientes involvunt castellum nube accensi pulveris:

qua septus miles postea vallum prius tenuit quam vidit. Juvat catervatim potius victorias recensere, Damma, Stargarda, Caminum, Anclamum, Stolpa, maris claustra, & ditionum suarum spes summa, velut impetu succubuerunt. Quin & praeter spem, ipsoque ex metu natae victoriae. Non potuerat gratius in nos saevire ventus, quàm ut classis partem invitam à suis distractam cogeret in potestatem accipere Rugaevaldam, citerioris Pomeraniae urbem munitissimam. Conspirarant in Gustavi gloriam elementa ipsa, & junctis viribus hostem adoriebantur, ne quid cursum victoriarum interrumperet. Solum Volgastum resistere paulisper ausum traxit in ruinam auxiliares Torquati copias, caesus miles, rapta vexilla, & mox arx ipsa. Quam secutae Griffenberga & Golnovia. Infelices Passevalkia & Uckermonda luere felicitatem Gustavi debuere. Refugit manus scribere, quae meminisse animus horret. Implacabiles Caesariani, quia in Suecos ultio negabatur, omnem hîc rabiem effudere, omnis sexus, omnis aetas violentiam passa. Puellae, virgines, feminae, pueri, viri, proh nefas, impuram vim experti sunt, denique injectus ignis evertit loca tantorum scelerum conscia. Scilicet illo igne abolere humani generis conscientiam sperabant; ignari excidia locorum atrocioris memoriae principium esse. Defunctorum manibus ut novo exercitu auctus Gustavus, Megapolitanam ditionem irrupit: sic ordinantibus fatis, ut terrarum situm, & Balthici maris litora victoriae Gustavi sequerentur. Nam Moschoviam Livonia, illam Borussia, hanc Pomerania, Pomeraniam Megapolis exceperat. Unde transitu tantum opus fuit ad Bartham, Damgartham, Tribseam, & Ribnitsam subigendas. In caeteras jam mandare Gustavus victorias poterat. Cui apud Pomeranos Gartza & Grispenhaga pretium laboris fuere.

Claustra

Claustra hæc Marchiæ & Pomeraniæ sunt, amnis Oderæ incuba, latissimis cincta paludibus & non nisi arctis accessa itineribus, ut ipsa natura quamvis audacissimorum hîc sistere conatus voluisse videatur. Nunc quod omnem penè fidem excedat, quindecim millium exercitu insessa, quis crederet quenquam oppugnare ausum? Ausus Gustavus est & simul vicit. Prior Grispenhaga multo machinarum imbre lacerata succubuit, Gartzæ subigendæ hujus terror & nox una, Konigsbergæ, Legnitzæ, Peritsô capiendis pauci dies suffecere, quîs cæsus non semel hostis. Vix vacat acta magni regis egredi, & tamen victoria illustris est, quam de Montecucullano & decem millium exercitu superato, de Colbergâ, post septem mensium obsidium expugnata, debemus Gustavo Horn, non degeneri tanti Regis duci, qui quam ipse propriam habebat felicitatẽ etiam in ductores suos transmiserat. Ipse nusquam nisi victor visus mox novum Brandeburgicum (clade sua postea illustre) & Treptoviam Damminumque in potestate habuit. Sed nolim ego per singula eundo magis memet fatigare, quam vincendo Gustavus fatigatus fuit. Potius exclamo, omne eum vicisse exemplum, qui octo mensium spatio urbes, aut castella, aut munimenta LXXX hostibus eripuit. Non licet sperare apud posteros fidem in iis, quæ quanvis visa fidem apud nos vix invenerunt. Majora Gustavus gessit, quam ut credulitatis notam effugere possint, qui venturis seculis acta ei ex vero æstimaturi sunt. Crede posteritas, crede, quanquam triste, illustre tamen documentum habes fortitudinis ejus in excidio novi Brandeburgici. Eo iræ, magnitudine rerum suarum, adigere hostes potuit, ut Tillius, communis ille Germaniæ terror, tot præliorum, tot bellorum superstes, in unum Gotthorum Regem omnia impendi fata, & nihil gloriæ suæ relictum amplius indignatus, non nisi excidio urbis hujus (quam maximo exercitu

obruit

obruit magis quam vicit) astruere pristinæ virtutis suæ opinionem potuerit. Ille cui ante Bohemiam, cui Palatinatum, cui Silesiam, Moraviam, Holsatiam, Daniam procubuisse audiebamus, qui sceptra regum presserat, aut calcaverat, exercitus ceciderat, semper victor, semper felix, ex quo Germaniam ingressus est Gustavus Magnus, unum eruisse è sedibus suis oppidum summum gloriæ, at non dedecoris habuit. Piget diutius victoria (demus ei hoc nomen) adeo tenui immorari, cum noster uno die Francofurtum expugnarit. Pretium non est aut Oderæ latissimi amnis præsidium, aut mœnia, aut propugnacula memorare. Digniorem orationi materiem præbent octo hominum millia quæ urbem insiderant, robur Tilliaci exercitus. His superandis non nox, aut insidiæ quæsitæ, sed illustri die, cum & dux & facta cujusq; optimè noscerentur, cum nullus invadentium occultus esset, ascendit Gustavus vallum, superavitque, & per millia occisorum ambulans alios victoriæ testes inter ipsa sociorum cadavera catenis oneravit, reliquos cladem nunciaturos præcurrere passus est. Post Francofurtum neque Landsbergam quamvis quinque millibus custoditam, nec Crossensem ducatum & urbem, nec Glogoviam magnam vinci puduit. Utinam ne Magdeburgum tantæ felicitatis, tantorum gaudiorum participem desideraremus! Cohorrescit animus quum cogito florentem urbem, imprudentia suorum, & mox proditione, denique etiam Austriaca immanitate, dedisse spectaculum nullis satis verbis deplorandum. Maduerunt sanguine templa, maduerunt altaria, aspersi sunt penates, infecta flumina, scissæ nubes ad gemitus & lamenta virorum, feminarum, puerorum. Tandem & incendio divina, humana omnia hausta, vel obruta sunt. Te Cœlum, te Solem interrogo, potuerisne videre incendium & immanitatem barbararum quoque gentium truculentiam egressam: quin potius

humo,

humo, quã polluerunt, & aqua, quam infecerunt, & igne, quo alusi sunt, obruisti atq; extinxisti orbis vastatores. Cecidissent certè nec sibi tot flagitiorum conscii, nec gentis suæ opprobrium. Nihil, nihil egisti Tilli excidio florentissimæ urbis. Manebit æternum ejus nomen, manebit dedecus tuum: præsertim apud comparantes cum tua crudelitate eximiam illam Gustavi lenitatem, qui Megapolitanos duces, tuo furore suis ditionibus ejectos, reddidit imperio ac terris suis. Nunc quid aliud quam in Austriacos concitasti ultorem Deum? Clamant ad eum sex & XX. occisorum millia; & quod Brandeburga vetus, quod Katenavia, quod Gutterboga Gustavi triumphis accessere, divinæ iræ id indiciũ habe. Quod Gryphisvaldã nec amnis Odera, nec munimẽta, nec hominum ulla vis adversus arma Suecorum tutata est, tuæ id truculentiæ acceptum refer. Quod deniq; concussus terrore Albis, Verbona, Borga, Tangermunda captæ Pappenheimius castris exutus, Steindalia, Havelsberga subactæ sint, id tua sævitia peremptorum precibus, id pietati Gustavi, & justæ ultioni asscribendum existima. Sed tu nec illa pro divinæ iræ indiciis accipiens, nec adversis fractus, majori documento experiri debuisti adversum Austriacis numen. Iterum cogor exclamare, quanvis lentum ad ultionem Deum, ubi cœperit, terribilibus indiciis iram suam approbare. Jam Saxoniæ urbes complures, jam Lipsia hosti cesserant, ut improbæ ejus spes non vota modo resumerent, sed & votorum fiduciam; cum tandem magnus ille dies venit, qui claritudine sua obruere meruit, quicquid innumeris abhinc sęculis noster vidit orbis. Stabant collectæ duæ & triginta Austriacorum legiones, domitrices Germanorum, fiducia Ferdinandi, & terror Europæ; quæ si terra non sat victoriarum præberet, etiam ipsum cœlum diruituræ videbantur. In oculis Lipsia, & quicquid circa agrorũ erat recens perdomitũ, acerrimos stimulos ad constan-

tiam subjiciebant. Venit eundem in campum Gustavus, circumdatus undiq; Septentrionis armis, Sueonum, Finnorum, Gothorum, aliarumq; gentium legionibus una de viginti: quæ post Moschos, Livoniam, Lithuanos, Sarmatas, victos, dignam tandem dextris suis materiem obvenisse exultabant. Ipse Gustavus vultu alacri, nec successu priorum temporum ferox, nec hostium fama dejectus, quam reliquis gentibus formidabilem, solus sui dispretam toties expertus erat, ne viribus causam parem, justitia meliorem, supremus exercituum moderator desereret, ardenter cogitabat. Vix nubibus preces se inseruerant, cùm (ô rem incredibilem!) nostri quamvis fessi itinere, & sudore madentes, numero pauciores, recentem, integrisque viribus hostem & validiorem tanto impetu invasere, ut avulsas ex imis sedibus rupes inter se concurrere, aut motu quassatam terram resonuisse crederes. Ardebant utrinque animi; noster miles frigoribus Septentrionis innutritus & Gustavi vultu, & causæ justitia fretus: hostilis per cædes, ruinas gentium, per fas nefasque grassatus, nec numinis metuens, eoque contemptor mortis & ferri. Nunquam majori ardore concursum est. Itaq; ne succumbam rei magnitudini, narrare non aggredior, quæ differendo minora vero facerem. Non campi, non sylvæ ab hoste occupatæ, non adversus Sol, contrarii venti, devolutus in ora pulvis, non sexdecim auxiliarium legionum fuga, non tormentorum sociis ereptorum tonitrua, non erubescenda alij cuicunque duci suorum paucitas, Gustavum prohibuere, quo minus infractus, & ad extremum constans, eriperet hostibus præoccupatam jam victoriam. Jacuerunt toto campo stratæ legiones, dejectæ Cæsaris aquilæ, & mucrones innoxio cruore toties pasti tandem priorum scelerum culpam dominorum suorum sanguine abluerunt. Dux ipse Tillius vix fuga Gothorum manibus ereptus, audijt à tergo gemitus & lamenta ad

singulos ictus procumbentiũ, vidit vulnera sua, vidit ablatum tot victoriarum honorem, & Gustavum, quem toties aspicere desiderarat, semel & supremum vidisse satis habuit. Sic minaces qui proxime exacti erant annos, & in orbis servitutem erupturos, unꝰ Deus, una dies, unus Gustavꝰ lenivit. Salve Regum maxime, salve defensor religionis, & tutor oppressorum, qui hac victoria totum orbem obstrinxisti, quem subjugare superba Austria sperabat, si te vincere potuisset. Salve Regũ invictissime, qui quos fortuna gesta quos sua supra dubitationẽ vincendi collocarant pene infra spem salutis redegisti. Salve Regum piissime, qui in tanta felicitate, in tanto fastigio humanæ sortis memor, ipsum quem impiorum cæde sacraras locum, tuis quoque precibus, & numinis veneratione insigniisti. Nimirum illis precibus ad novas tibi victorias viam parabas, quæ velut torrente quodam Hallam, Halberstadiensem Episcopatum, Mansfeldicam ditionem, Stolbergam, Hohensteinam, Magdeburgum, Brunsvicum rapuerunt, terras amplissimas. Non moror utrum mihi Gustavi impetum sequenti, festinatio & copia provincias aliquot subducat. Nova semper & majora urgent. Trahit in ipsa properatione tardam orationem Erforda, Germaniæ civitas maxima, eoque non urbis, sed orbis nomine suis nota. Vereri potuissemus ne inter tantos successus ad iram Gustavus raperetur, ubi erant qui triumphantẽ morari auderent. Sed nihil illum à bonitate sua deflectere potuit; priusquam pugnaretur jam medio foro auditæ ejus tubæ, non terribile classicum, sed pacem & servitutis finem, initium libertatis resonuere. Equidem non vereor eximiam hanc Gustavi clemẽtiam, cõponere cum secuta post victoria, quæ Altringii & Fuggeri exercitum, quæ Turingiam triumphis ejus inservit. Debuit quoque augere gloriam Franconia, Germaniæ regionum celeberrima, cujus populi olim victo Romanorum nomine Monarchiarum Europæ floren-

tissimam in Gallia constituerunt. Primo Kouingshova armamentarium gentis, exin Sveinfurtum in potestate fuit. Ceteras victoriarum transeuntem, Herbipolis tacere non patitur, sedes Episcopi, quem ut potentissimum Germania veneratur. Perinde atque fulmen ubi nihil pertinaci resistit innoxium transgreditur, ubi magna moles objecta est, recollectis eam viribus invadit, frangit dissipat, ita victoriæ Gustavi leni cursu Bambergam (cui ignoverat) præterlapsæ, ad hanc urbem non tam steterunt quam redintegrato impetu perruperunt. Montis, fluvij, mœnium, annonæ, militum præsidia Gotthorum robori, velut tenues aristæ calcantium pedibus, procubuerunt. Aperuit eadem victoria tot annorum, tot miserorum lachrymis collectas opes, prædam omnis Germaniæ; quam non tam cupidine, quam ira in raptores, una die, uno penè momento diripuerunt Finni, Suecique, majorum suorum parcimoniæ ita litaturi, qua magistra in hunc usq; diem invicti stant. Siquidem omnium victores, omnium inopes, in ipsa Germania Germaniam non inveniunt: horridi & inculti in æstate hyemem, in hyeme æstatem agunt; non vestes, non divitias non denique luxuriei ulla instrumenta, sed arma, validas hastas, fulgidos mucrones cupientes: pleni roboris atq; animorum, quibus stipendia, quam prœlia, pauciora sunt. Auxit easdem virtutes prudentia magni regis. qui eos in militia non aliter, quam in severissima virtutum schola habuit. Nunquam cœpti, nunquam finiti sine publicis precibus dies. Et quum aliorum castra cædibus, pugnis, seditionibus sæpè arserint, hic modestiæ, obsequij, reverentiæ in superiores, certamen fuisse crederes. Quid de magno Gustavo dicemus? sæpius eum humi sub frigido pluvioque cœlo militari sagulo inter excubias suas, quam in lecto, jacentem ipsi vidimus. Vidimus fame ac siti propè confectum ut contubernia & stationes circumiens, panem identidem à militum gregariis & aquæ haustum

stum

stum postularet. Huic indoli si universus orbis procubuisset, mirarine quisquam jure posset? ego sane injuriam me illi facere putarem, si aut cæsas paullo post sex legiones, aut captum Roteburgum, aut redactam in potestatem Hanoviam fusius memorarem. Submisit quoque ripam omnem Mœnus, & Germanorum illa Roma Francofurtum. Illud quoque inter cætera Gustavi decora habendum erat ut cùm tot Cæsares Francofurti coronatos urbis ejus fasti proderent, primus ille victor civitatem ingressus, coronam sprevisse legeretur. Ingens vero illius diei species fuit, quum subsistentem hic Gustavum tot regum, principum, rerumpublicarum legati convenere, ut coram illum Germaniæ liberatorem, & terrorem Austriæ venerarentur, etiam ij, quos in nostra male pronum animum metu simulare, & conjuratos fœderis esse constabat, quod ob destinatum orbis excidium sacrum vocari meruit. Hi fuerunt Moguntinus, Coloniensis, Bavarus, qui simulatque rupta fidei reverentia ultro iterum ultionem attraxerant, cucurrerunt victoriæ Gustavi, & Hogsta capta, obumbrarunt victrices aquilæ campos, quos cæso ante decem annos duce Brunsvicensi trophæa Tillij circumdederant. Fama tantum opus fuit ad ejiciendos Noriberga Cæsarianos, vix labore ad habendam Falkesteinam, Reiffenbergam, Croneburgum & Ernfeldã Proxima Ringovia regio notabilius Gustavo spectaculum præbuit, ubi miles hostilis resistere paulisper ausus, pars prostrati, pars gurgite hausti, ut non cruenta, ita nec sicca morte perierunt. At postquam incuba Rheni Binga in potestate fuit, quasi fulmen toto tempore Gustavus quacunque incessit, traxit secum victorias, usq; ad Palatinatum. Hic memoria malorum & miserabilis gentis species quamvis festinantem cohibent, ut licet à Gustavi celeritate degenerandum non arbitrer, vix transeam loca, quorum miseriam ne saxea quidem corda sine commotione tran-

 sissent.

fissent, Silebant templa ruinis situq; deformia. Jacebant urbes, pagi, omnibus cladibus exhausti, direpti alij, alij semiusti aut habitantium vacui. Jam agri quantum antea florentes, & fœcunditate sua luxuriosi, nunc inculti, horridi, non segetem, non herbam, ac vix infelicem stirpem producebant. Vidi ipse, vidi miseros ruricolas suis brachiis aratra trahentes, adeò quoque animalia, quæ parando victui natura subministravit, Cæsarianus furor subduxerat. Ipse Princeps gentis Bohemiæ Rex, duodecimum jam annum profugus, extorris, vagus, cum regia conjuge, cum numerosa sobole, ad tantam fortunam genita, diuturnitate miseriæ sui prope fastigij oblitus, subditorum misereri, quia juvare non posset, dedidicerat. Adeò ut cuncta religionis & libertatis, urbium, pagorum, villarum, agrorum unum dicere cadaver posses. His omnibus ut cœlo demissus Gustavus supervenit; cujus primo pietatem experta est Regio Montana. Nec mora quin mox trans Rhenum hostis pelleretur. Ibi propè ad finem victoriarum perventum cæteris judicantibus, incredibile facinus ausus rex, aut potius divino præsidio fretus, tribus tantum minoribus schaphis transijt amnem Germaniæ celeberrimum, quanvis adversam ripam eques, pedes Hispanus terribili specie complesset. Cæterum quo major Gustavi gloria esset, & ne ignavi deseruisse ripam viderentur, ter impetu in eum repetito, ter cæsi, fuga sua auxerunt animos exercitui, qui mox Oppenheimium & Moguntiam, milite, amnium Rheni & Mæni allapsu, valli fiducia superbam, cepit die, quem tum natalem Gustavus & ingressu tantæ civitatis lætiorem habebat. Et ne quid magnis olim Imperatoribus Cæsari Julio, aut Carolo Magno patratum negligeret; Rhenum ponte constravit. Quanvis prosperis hactenus fatigor; & tamen inserit se quoque Gustavi triumphis Lotharingiæ dux, Elector jam Cæsaris ambitione designatus, qui

ubi

ubi proprij vix quicquam haberet, non insolita majoribus arte aliena duci donabat, ut suis excideret, solers in concitandis adversum discordes sibi hostibus. Caeterum & Lotharingus alienae cladis accessio factus, & ex millibus quae duo de viginti eduxerat, vel sena se incolumia videre laetatus est. Hic vero turba me victoriarum obruit; quas & majores judico, quàm ut praeteriri debeant, & plures quam ut describere liceat. Erit annalibus materies in Wormatia, Fridburgo, Konigsteina capta, deserto pene ab Hispanis toto Palatinatu, caeso & trans Mosellam acto Barbansonio, Philippi de Sylva equitibus prostratis, redacto in potestatem Manhemio, pulsis Joannis Nassovij Comitis copiis denique & Creutznacho in potestatem redacto, & fusis per Oxensternium excercitibus, memorandis. Solus jam, & Europae omnium princeps, Danubius, superesse videbatur, augendae Gustavi gloriae, & quia illustri die opus erat ad superandum fluvium, qui ipsos quoq; orbis dominos Romanos olim cöercuerat; visum numini septimo & vicesimo Martij, quem vitae primum Bavariae dux habebat, primam ejusdem urbem Donawertam, claustrum amnis, & ipsum simul amnem Gustavo victori subijcere: qui abreptis & gurgite suo haustis Caesarianis, ingens cadis compendium fuit, fessis Suecorum manibus. Non debuit superatum Danubium minor victoria excipere. Collecto undique exercitu, ducum celeberrimi Bavarus ipse & Tillius & Altringius Lycum amnem obsedere, adeo ut clausa undiq; Bavaria, nullis nisi caelo demissis hostibus aditu in eam relicto satis securitati suae consultum putarent: ignari caeli caussam Gustavum defendere: cujus tum demum potentia manifesta fuit, cum eos qui non adiri nedum vinci posse videbantur vicit, antequam adirentur, & cum omnibus suis impulit ducem, ut quem tota Germania antea vincentem ferocientemq; viderat, nunc

ipsa

ipsa Bavaria, patriisque penates fugientem prospectarent. Tillius quoque, quem post Lipsiensem victoriam (quam huic æquare Gustavum solitum memini) secundo dedecori servasse fortuna videbatur, inglorio tormenti ictu saucius, paullo post magnum diem vitæ ac fugæ suæ imposuit. Discant nunc hostes non solum DEO curæ esse liberationem Germaniæ, esse & ultionem. Unde in Bavarum hostium maximum, & bellorum, quîs tota Germania ardet, incendiarium, sua recidisse exempla optimus quisque lætabantur. Nunquam Gustavus Magnus ita ultioni quanvis justæ indulsit, ut non prius partam miseris securitatem vellet. Itaque tunc quoque distulit vindictam, ut pietatem suam derivaret in nutricem religionis Evangelicæ & celeberrimam urbium Augustam Vindelicorum: quæ duro Pontificiorum oppressa jugo, quanto minus, sub Alpium oculis posita, ab extremo Septentrione vindicem expectare potuerat, tanto nunc libertatem lætior accepit. Nequeam gaudia oratione exprimere, quæ illi animis non cepere. Restituta sacra, reducti exules, ejecti hostes, denique nova prorsus facies, adeo ut meruerit pietas Gustavi, ut jam non Augustæ, sed Gustaviæ nomine urbs in posterum nosci queat. Hinc in originem & fontem belli rursum conversus rex, universæ Germaniæ clades in Bavaria vindicabat, quam totam, præter Ingolstadium, mox subegit. maxime triumphos commendante Monachio, quæ civitas Germanorum spoliis & ruinis ad invidiam usque aucta erat. Iniquum fuisset improsperum aliquid à fortuna obtrudi, Bibrachium ipso adventu liberatum, pulsæq; sola fama, quæ eam obsederant, Ossani & Leopoldi copiæ. Inde ad Brigantinum lacum ipsasque Alpes victoriæ ambulavere, quum trepidante jam proxima Italia, lubricis Saxonum rebus in Bohemia Gustavus revocatus mox vertit iter, & Wallensteinnii prospera in Saxones

stitit.

stitit, Hunc ex Germaniæ malis Friedlandij nomen adeptum, dilegerat Cæsar divexando imperio, quod quia amiserat, jam ut alienum & fugitivum tractabat. Ille quaqua incessit terrorem & incendia circumferens, pagos aut æmula pagorum, oppida exscindens lento & gravi agmine sensim incedebat, velut præmissurus terrorem, ut suo metui parvam Gotthorum manum conficiendam daret, quam fortassis in extremos Germaniæ angulos, aut patrias terras ad famam sui dilapsuram speraret. Ut invictum animi regem cum XVI tantum millibus ad Norinbergam constitisse intellexit, terribile agmen, & omnem penè Germaniam secum trahens, cum LXXX millibus urbem eminus circumsedit. Mirabamur omnes cum nullæ unquam voces Friedlandium alium, quam sævum distulissent, nulli oculi quam truculentum vidissent, simulatque in Gustavi conspectum venit, ferociam crudelitatemque velut pudore magni regis omnem abjecisse, quo solo Gustavus triumphum de Wallenstenio meritus est, quod barbarie hostem non minus, quam armis exuere potuit. Nemo porro inglorios dicat eos menses, quibus parva manu hostem Gustavus attinuit otiosum. Nam & Silesiam & Alsatiam florentissimas Germaniæ terras, interea extorsit & ipsa castra, æterno Cæsarianorum dedecore, oppugnavit, turmas, cohortes, legiones suorum in conspectu fugavit, aut confecit, ut desertis circumquaque campis; post sylvas aut in latibula refugientes impares se Gotthis satis ipsi testarentur, & sese constantiæ eximios judicarent, si terrorem vallo depulissent. Quanquam in Wallensteinio timorem hunc Gustavi, prudentiam vocare potueris; quod etiam suos Gustavi manibus, ad Lutsam verò & umbræ magni regis eripuisse ingens aliquid existimarit. Hæc nimirum Gustavi otia fuere, quibus refectus, mox jugulum Bavarorum & Austriacorum pressit. Jam Danubium ultra prolatus ar-

morum metus, jam Raina capta erat, cum rursum urgentibus sociis, suas victorias, quam illorum deserere salutem maluit. O piam mentem! ô animum, nunquam immemorem suscepti pro oppressorum miseriis belli! Tene Regum maxime, propinquum jam supremæ debellati Ferdinandi gloriæ, adeo religiose afflictorum questus excepisse, ut securus animæ, à qua tot gentes, tot subditi tui pendebant, malles finem lætitiæ nostræ, quam progressus Germanorum vexationibus dare? Nunquam satis ventura secula, aut gentes tuam benignitatem mirabuntur; nunquam Sueci, Gotthi, Vandalique satis lugebunt magnitudinem illius animi, qui ad tonitrua belli invictus, inter mille discrimina impavidus, solis superari afflictorum gemitibus voluit. Lutzenses campi videre fatalem illum diem debuerunt, quo supremum dextra Gustavi trophæum de hostibus, quanvis moriens, erexit. Ipsa in hostium castra connixus superato vallo, cæsis resistentibus, traxit prælium in aperta camporum. In terribili multitudine pugnantium, resistentium, cædentium Magnus Gustavus præ cæteris eminebat, ardenti equo ardentior ipse, hac illac, fulminis instar volitans. At postquam brachij vulnere calidus, eminere in ore suorum languorem vidit, ad æternam majestatem conversus, & clarissima voce ter Jesum Dominum, authorem tanti operis, invocans, illo duce de hostibus simul & se ipso, triumphaturus irrupit. Non equitem celeritas, non peditem numerus, aut animi sui satis tutabantur. Ad ruentis impetũ millia cedebãt, cadebantve; donec jam fessus triplici vulnere, fessus cædendo, inter medios hostium cuneos, non minus constantia sua, quam hostium armis cinctus, satur gloriæ, satur vivendi, imbecilli corpore deserto reliquam ultionem supremo vindici permisit. Hic vero me vox simul, & animus, & constantia deserunt, ut quanvis in prosperorum longa serie satis adversus mæstitiam munimenti comparasse mihi viderer,

viderer, succumbam tam vehementi ictu, qui simul Germaniæ fata nostras, & arrectæ Europæ spes jam propè triumphantes, rursum incertis fortunæ, & bellorum objecit. Magne Gustave, sustentator fatorum ruentis Germaniæ, cur non totus orbis pro tuo se corpore discrimini objecit, cur non ipsa Germania excepit vulnera, quæ divinam illam animam nobis eripuerunt? accepit sanè, misera, accepit. Non dirutæ urbes, non cæsi exercitus, non incendiis haustæ provinciæ, tuo illi fato graviores esse potuerunt. Vix respirantem & adhuc vulnerum suorum memoria aut metu infirmam, in media spe deseruisti; ut jam vix sperare audeat finem malis, quem imponere pietati tuæ negatum est. Verè verè illo vulnere tuo confossa, illa morte exanimata est Germania. Tanto infelicior quod nec meritorum tuorum meminisse, nec pro iisdem grata unquam esse poterit, quin mox ei calamitas sua & quantū in te amiserit, occurrat. Nos verò & nobiscum tot invictæ Suecorum, Gotthorum, Finnorumque legiones, ministri famæ & participes decoris tui, quibuscum tanta gessisti, simul in tuo casu Imperatorem fortissimum, principem optimum, patriæ parentem, spem, munimentum amisimus, & iniquas naturæ querimur leges, quod cum pessimum quenq; vitam cui libuerit eripere, pios pro amicis, pro benemeritis, pro parentibus eam deponere haud permiserit. Posuissemus sane, posuissemus libentes pro te vitam, satis longam post tot tantaq; decora per te parta. Nunc postquam in miseriis eligere aut mutare probibemur, extremum refugium, solatia ad constantiam quærimus, quæ inter maximum illud occurrit, quod beneficiis immortalibus & spem quoque nostram supergressis obstricti, quotiens ea reputamus nunquam te carebimus. Vives tu æternum Gustave Magne in animis nostris, vivet memoria tua, quæ sola te cum profunditate temporum, cum venturis seculis committet. Iniqui fuissemus, si tantorum

præmia laborum, quibus totum orbem obstrinxeras, quæ totus orbis reddere nequibat, à suprema majestate rependi tibi invidissemus. Non erat capax tuarum amplius virtutum mortale genus. Etenim si angustum illud & fragile corpus, si exilis ille carcer animæ tuæ, majestate sui, adeo perstringere oculos hominum potuit, ut ad conspectum ejus, veluti divinitatis exanimarentur, quàm æquum erat, augustam illam animam, veram divinitatis imaginem, cælo recipi, & accipere hæreditatem, cujus in spem producta erat. Hoc merebatur pietas tua, qua sortem tuam vicisti & contempsisti. Nemo regum illustrioribus documentis pietatem suam approbavit, nemo tot principes, exules, profugos, afflictos, imperiis, patriæ, sedibus, fortunis suis reddidit. Nemo regum illustrioribus documentis approbatam vidit pietatem suam, ut quanvis sola malis eripi Germania videretur, totus tamen orbis Christianus pro te, tanquam uno orbis Vindice, precibus, votis, supplicationibus supremum numen fatigaret. Neminis deniq; pietatem majoribus successibus Deus approbavit. Ab ipso propè septentrionis axe, ab Hyperboreo Oceano, Moschoviam, Sarmatiam, Lithuaniam, Livoniam, Borussiam, vincendo fatigasti aut emensus es. Hinc cum XII millibus oppressi orbis defensionem aggressus, contra inexhaustæ multitudinis exercitus, contra infinitæ potentiæ hostem, duobus annis (stupet animus ad miraculum, quod famam omnium seculorum delere possit) totam Germaniam à Codano sinu ad Brigantinum usque lacum, & ipsas Alpium radices perdomuisti; eâ celeritate, ut citius provincias totas viceris, quam alij obierint, eo successu, ut nulli magis stupeant quam qui maxime insultarunt. adeò ut, qui magnas virtutes posteritati cõmendatum eunt, non quod aliis imperatoribus evenit, deligere aut prætermittere aliquos imperii annos opus habeant: tota ætas tua, totum imperium unius quasi victo-

riæ

riæ torrens fuit. In incunabulis parentis Caroli lauris circundatus, impubes ipse jam triumphator, semper felix, & ne quid in ipso quoq; fine desideraret posteritas, post mortem etiam victor. Nisi religio esset tuam modestiam aggredi, erigeremus arcus triumphales, trophæa, componeremus titulos, audiretq; posteritas GUSTAVUM. MAGNUM. MOSCHOVITICUM. SARMATICUM. LIVONICUM. GERMANICUM. BOHEMICUM. VINDICEM. OPPRESSORUM. SCOPULUM & TERROREM. FERDINANDI. AUSTRIÆ. & CONJURATI ORBIS. *Nescit Magne Gustave, nescit Europa, quæ quantaq; tibi debeat. Nemo tantam domũ, tam longa majorum serie subnixam, ita aggredi ausus est, ita vincere potuit aut debuit. quippe Ferdinandi familiæ ad opprimendam libertatem natæ, fatale erat opponi Gustavum Magnum, vindice Carolo, vindice Gustavo ortum. Nec sola in Ferdinando Ferdinandi infracta aut depulsa est tyrannis. Quod Turcarum irruptiones, ad quas tremere Christianus orbis solet, factæ non sunt, Gustavo Magno debetur, qui barbaram gentem, & jam Cæsaris potentiam suspectantem, concussa Austria retinuit. Tuum est Gustave, quod pace eorum nunc fruuntur, etiam illi, qui minime merebantur. Scilicet ut solis radii benignè in immerentes quoq; dispensantur. ita & tua arma erigendæ libertati, erigẽdæ religioni suscepta, etiam his prodesse debuerunt, qui, si per eos stetisset, totam Europam Barbarorum irruptionibus vastari, quam miseros per te servitio eripi, maluissent. Itaque nunquam agnoscent beneficia quæ inviti acceperunt. Quis crederet subditorum aliquem in curis tuis locum, partem aliquam fuisse, cum tota se Europa tibi vindicasset, & ingens illa moles unius tui animo libraretur. Atqui ita eorum res auxisti, tanta pro illis fuit solicitudo tua, ut*

solis tuis vacans, cætera tantum perfunctorie tibi tractata nos credere potuerimus. Quod pacem cum Danis, & Moschis, quod inducias cum Sarmatis, quod regnum undiq; tutum habemus tuum est, Magne Gustave. Tu pro defensione aut securitate nostra ingentem illam animam, quam nostra securitate, si liceret, libenter redimeremus, mille periculis objecisti; tu tela, & vulnera pro subditis tuis plura & graviora, quam regum quisquam, pertulisti. Quod gentes semibarbaræ, quod Numinis ac religionis ignari, ad cultum, ad Dei notitiam, ad æternitatis cogitationes venire incipiunt, tibi Magne Gustave debemus. qui leve ratus mortalibus eos beneficiis cumulare, ipsa tecum æternitate frui voluisti. Quod in Svecia, eique subjectis provinciis sepultæ hactenus literæ, omnium virtutum instrumenta, vivere incipiunt, tibi Magne Gustave debetur. Quod propemodum populorum aliis hactenus despecti, nunc florentissimi sumus, quod arma ab extremo Septentrione, ad Rhetiam, Vindelicos, & ipsam fere Italiam victricia circumgestamus, tuum est, Magne Gustave. Quod Gotthorum virtus tot seculis ingloria, & sui propè oblita, veterem famam recepit, tuum est Magne Gustave. qui primus ingenti animo angustas res egressus gloriam tuam cœlo terminasti: qui ardentem hunc spiritum & immortalitatis cupidinem subditis tuis infudisti; ut tua ex domo plures militiæ magni duces prodierint, quam olim ex celeberrimorũ sapientum scholis, clari discipuli provenerunt. Diutius sanè alij imperium tenuerint, ambitiosis titulis nomina sua auxerint, ditionem protulerint, prædâ se suosq; ditarint; dum nemo in tam brevi spatio tanta gesserit, nemo honores & superbam famam constantius spreverit, nemo, suis magis contentis, plura aliis dederit, aut reddiderit, nemo deniq; innocentiores à rapinis manus servarit. Hanc vero, Magne Rex, etiam quam olim non habuerunt gloriam Suecis ac Gotthis tuis peperisti,